

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagratia <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Qvaesttio cvr hodie religiosi [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

QVAESTIO

CVR HODIE RE-  
LIGIOSI à RELIGIONE

Catholica deficiant?

RESOLVTA

∫

REVERENDO PA-  
TRE F. BONAGRATIA  
HABSENSI ALSATA DIFFINITORE  
FF. Min. Capucinatorum Prouinciae  
Helueticae.

*Cum Facultate Superiorum.*

QUESTIO

CVR HODIE RE

LIGIOSI A RELIGIONE

Catholicae doctrinae

RESOLVTA

REVERENDO PA

TRI R. BONACRATAE

ORDINIS S. AUGUSTINI

FR. MIN. CANTUARUM

IN

CVR TERTIO



Cor loc



Ordo Re  
tuer? cum  
pelle olo  
minim vid  
am ob cau  
excusand  
excusand  
mentem,  
mirabili  
cu in h  
remor fal  
nem suar  
ben yomil  
Agdam e  
p fessam





QVÆSTIO

*Cur hodie Religiosi à Religione Catho-  
lica deficiant?*



Naiqua est, quam quia  
vulgus cum admiratione  
& scandalo identidem  
& ruminando, hucusq; di-  
gerere non valuit, quasi  
recens mouetur quæstio;

*Cur hodie Religiosi à Religione Catholica defi-  
ciant?* cum quæ ad defectionem illos impel-  
lere olim poterant, amplius subsistere  
minimè videantur. Hanc expendere dupli-  
cem ob causam operæ pretium duxi. 1. ad  
euacuandum Pusillorum scandalum. 2. ad  
excitandum Religiosum securiora sibi per-  
suadentem, quæ periculis immersa sunt in-  
enarrabilibus, quibus probè cognitis, dis-  
scat in humilitate spiritûs, cum timore ac  
tremore salutis suæ, feruentius attendere, ac  
certam suam vocationem facere per fide-  
lem promissorum votorum obseruantiam.

Agedum ergo, ac primùm ex oculis vul-  
gi festucam extrahat sapientissimus Eccle-  
siae

A 2

sic

1.  
Finis  
propositæ  
Quæstio-  
nis indi-  
catur.

2.

Communis omnium statuum calamitas.

4  
sic Doctor Sanctus Augustinus, qui rerum humanarum, & mortalis conditionis peritissimus, communem omnium statuum calamitatem ac miseras nobis ob oculos ponens, vt ad saniora nos iudicia reuocet, neque alterutrum despiciere, sed suam quemque fragilitatis memorem esse, ex diuinæ, sic vniuersa prudentissimè disponentis, Providentiæ consideratione, persuadeat, his verbis nos instruit: *Non est ager*, inquit in psal. 124. *sine zizanijs, non sunt grana sine paleis. Mali mixti sunt bonis non solum in seculo, sed & in ipsa iustis Ecclesia mali mixti sunt bonis.* Et serm. 1. de luctat. Iacob. *Quomodo inquit, si inveneris in area vnum granum & paleas infinitas, difficile inuenis duo grana simul iuncta, sed inter grana, palea commixta est; sic inter eos, qui seruire volunt Deo, strepitus & multitudo est malorum hominum circumdans illos vndique &c.* sic nimirum ordinante Deo, qui quoniam necesse erat (Idem in psal. 34.) vt inter malos viueremus, non abhorruit Iudam ad summam Apostolatus dignitatem inter illos paucos eligere ad exemplum nostræ patientiæ. Ille videbat (ait ibid.) traditorem suum, & elegit illum magis ad opus necessarium, illius malo magnum bonum operatus est, & tamen inter duodecim electus est, ne ipse duodecimarius tam exiguus numerus esset sine malo, & quia

la necess  
entes r  
it, ne des  
&c. Eccl  
m totius  
licente,  
statum, n  
ntem, qu  
tradit, in  
illis adm  
blite à s  
agregatio  
17. 14. Il  
abundans  
tu tam, q  
& non per  
vt nec in  
on. Hec  
i eos, qui  
vni Eccl  
bos, de qui  
s, vt taceat  
1. 19. Cler  
es, sicut d  
era suam  
m, non quer  
ressi, lauda  
ut malis: ru  
ritorum, &



quia necesse erat, vt malos siue scientes, siue u-  
 scientes toleraremus, exemplum patientia pra-  
 buit, ne desicias, cum caperis inter malos uiue-  
 re, &c. Et si fortè dixeris id spectare ad sta-  
 tum totius Ecclesiae vniuersalem, & ideo cā  
 nascente, Iudam inter Apostolos conu-  
 numeratum, non ad Religiosorum congrega-  
 tionem, quae tanquam res sacra ac umbra  
 Paradisi, in quo nullus malus viuere debet,  
 falleris admodum; nam diuina ordinatio  
 noluit à sua dispositione Religiosorum  
 congregationes liberare, vt idem insinuat  
 in ps. 54. In omni congregatione, inquit,  
 multitudinis necesse est, vt inueniantur mali:  
 Deus enim, qui nouit exerendos nos, miscet no-  
 bis & non perseueraturos aut cerè ita simula-  
 tos, vt nec inchoauerint, in quo perseuerare de-  
 beant. Hæc ille, qui etiam apertis verbis ar-  
 guit eos, qui sic incauto animo laudant bo-  
 nos in Ecclesia aut Monasterio, vt taceant  
 malos, & qui sic vituperant cæco animo ma-  
 los, vt taceant bonos. Laudatores, inquit in  
 psal. 99. Clericorum intendunt ibi bonos mini-  
 stros, fideles dispensatores, omnium toleratores,  
 viscera sua impendentes his, quos volunt profi-  
 tere, non querentes quæ sua sunt, sed quæ IESV  
 Christi, laudant hæc, obliuiscuntur, quia mixti  
 sunt malis: rursus qui reprehendunt auaritiam  
 clericorum, appetentes res alienas, ebriosos,  
 voraces,

voraces, inſtantes, & tu invidè vituperas, & tu incautè laudas; Tu, qui laudas, dic mixtos malos, tu, qui vituperas, vide ibi & bonos: ſic & in illa vita communi fratrum, quæ eſt in Monasterio, magni viri ſancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt, cum lectione illis res eſt, laborant manibus ſuis, inde ſe tranſigunt, non avarè aliquid petunt, quidquid eis inferitur à pijs fratribus, cum ſufficientia & charitate videntur, nemo ſibi uſurpat aliquid, quod alter non habeat, omnes ſe diligunt, omnes inuicem ſe ſuſtinent, laudat, qui neſcit, quid intus agatur, qui neſcit, quomodo illo vento intrante etiam naves in portu colliduntur. Intraſt quaſi ſecuritatem ſperans, neminem, quem toleraret, habiturus, inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non poſſent, niſi admitterentur, & neceſſe eſt, vt primò tolerentur, ne fortè corrigantur, nec excludi facile poſſunt, niſi prius fuerint tolerati, & ſit ipſe intolerata patientia & Infinita ſunt, quæ S. ille Doctor, & alij Patres hac de re differunt,

3. Ob hanc communem omnibus miſeriam inſtituti ſunt primò Religioſi ordines, vt cum ſæculum abundaret, non ſolum Christianis malis, ſed & inimicis Chriſticolisq; infeſtiſſimis, quietiùs integrandis, paucos ſaltem (vt potè faciliùs, vel compendendi s, vel leuiùs tolerandos) degerent.

Ob hanc communem miſeriam inſtituti Religioſi Ordines,



Ad hoc adlaborârunt Religionum Institu-  
tores omnes, vt malitiam omnem è suis cõ-  
tubernijs excluderent, & sicut Religiones  
aliquæ suos idèd fatigant nunc diuinorum  
meditationibus, nunc libris euoluendis, at-  
que etiam scribendis, scholis, vel rei sacræ  
faciendæ, muneribusque alijs &c. Ita & Re-  
ligiosi cæteri, quorum siqui mindus impen-  
dunt studijs, tantò amplius incumbunt ora-  
tioni: sine qua modicū, aut nihil valent stu-  
dia. Per Orationem quippè ( ait S. Bernar-  
dus l. de modo benè viu. c. 50. ) mundamur  
à peccatis, per lectionem docemur, quid facia-  
mus. Vtrumque bonum est, si licet: si ve-  
rò non licet, melius est orare quam legere. Nam  
cum oramus, cum Deo loquimur, cum legimus,  
Deus nobiscum loquitur. Multum proficis, cū  
legis, tamen si facis ea, qua legis. Attende lecti-  
oni, insiste orationi, lectio & oratio sunt arma,  
quibus diabolus expugnatur, hæc sunt instru-  
menta, quibus æterna beatitudo acquiritur &c.  
Ad orationem vt expeditiores essent, multi-  
plicant alij ieiunia, quod plurimūm com-  
mendat D. Laurentius Iustin: Ieiunium  
enim & abstinentia ( ait tr. de orat. c. 5. ) ad  
orationis subleuat sublimitatem: nihil enim  
sublimius, nihil potentius homine orante. Qui  
iurem orat cum ieiunio, duplices habet alas, qui  
ad rimanda caelestia suscollitur. Vnde fit, vt dum  
illo



4.  
Religio-  
sis aut le-  
gendum  
autoran-  
dum aut  
laboran-  
dum.

illo pascitur, terrenum pabulum non requiras.  
Nec enim potest panem seculi cupere, qui suavi  
gustu reficitur Saluatoris &c. Quoniam verò  
difficillimum est homini mortali orationi  
& studio litterarum semper immersum per-  
sistere, adiunxit S. Franciscus laborem cor-  
poralem: Ego, inquit in suo Testamento,  
manibus meis laboravi, & volo laborare: &  
omnes fratres mei, volo quòd laborent  
de laboritio, quod pertinet ad honesta-  
tem. Et qui nesciunt, discant; non propter  
cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed pro-  
pter bonum exemplum & ad expellendam ociosi-  
tatem &c. atq; hic erat communis ferè om-  
niam Religionum semper sensus, ex quo  
tritum illud apud eos: nunc lege, nunc ora,  
nunc cum fervore labora &c. nihil dicam de  
PP. Carthusianis, qui ad hæc omnia, quo  
procul à loue procul essent à fulmine, non  
solum abdicant accessum ad aulas (quòd, vt  
scriptor aliquis admonet prudentissimè, te-  
merè nõ accedat, nisi si cui defecto per ata-  
tem corpore aut per multorum annorum  
exercitum in actibus Religiosæ vitæ & in  
maceratione inferioris hominis industriam,  
subiugatâ carnis petulantia liceat impunè  
versari inter insidiatores, sat suis à virtuti-  
bustecto, vt nec etiam in ipsis flâmis adu-  
ratur, haud secus quàm illi in Babylonica  
fornace contestatum per miraculum illæsi

eres

tres pueri permanserunt) verum etiam hominum vniuersim alloquium, ex quo singulare illud à Deo donum accepere, vt per annos, paulo minus sexcentos absque reformatione Regularem obseruantiam continuârunt; vnde præclarum illud ipsorum encomium: *Per tria si* (silentium) *so* (solitudinem) *vi* (visitationem) *Carthusia permancet in vi* (vigore) nihil meminero cæterorum, qui omnestalem viuendi normam, & contra quoscunque occurfus malos, cautelam instituerunt, vt de singulis dici quoque possit: nullum horæ momentum ex disciplinâ ordinis assignatâ carere parte eiusmodi functionis & operis, quo otij illecebræ pessimum religiôsæ sinceritatis venenum arceatur, prorsus vt rem malam, vel solâ cogitatione admitti mirum sit ab eo, qui pensum suum ritè conficit &c. Vnde ergo habent zizania? Hoc modo inquirere aggredior.

*Causa & radix apostatandi & omnis omnino mali prima est naturæ dis omnium creaturarum indigentia, siquidem, vt docet S. Bonau. 1. D. 37. p. 1. a. 1. q. 1. creatura quæuis habet in se possibilitatem & vanitatem, & vtriusq; causa est, quia producta est ex nihilo. Quia enim creata est, & accepit esse ab alio, qui scit eam esse, cum prius non esset, ex hoc non est suum esse,*

A 5

f.  
Causæ Apostatæ  
proponuntur.  
Prima  
Vanitas,  
cui omnis crea-



tura ex  
nihilofa-  
cta, sub-  
iecta est.

& ideo non est purus actus, quia habet possibili-  
tatem, & ratione huius habet fluxibilitatem &  
variabilitatem, ideo caret stabilitate, & ideo non  
potest esse nisi per presentiam eius, qui dedit ei  
esse. Exemplum huius apertum est in impressio-  
ne forma sigilli in aqua, quæ non conservatur ad  
momentum, nisi presente sigillo. Et iterum  
quia creatura de nihilo producta est, ideo habet  
vanitatem: & quia nihil vanum in se ipso sul-  
citur, necesse est, quod omnis creatura sustentetur  
per presentiam veritatis, & est simile, si  
quis poneret corpus ponderosum in aere, quod est  
quasi vanum, non sustentaretur &c. Confide-  
ret nunc & videat omnis, qui stat, ne cadat,  
quando ex se nihil est, nihil valet absque  
eo, sine quo nihil potest, vel est omnis crea-  
tura. Quis verò non casurus est, si quem  
Deus cadere permittat? cogita & perhorre-  
sce! quomodo, qui manè oriebatur, luci-  
fer de cælo ceciderit? Isa. 14. Cherub ille  
extensus, in monte sancto Dei, positus, in medio  
lapidum ignitorum: Perfectus in vijs suis à die  
conditionis, donec inuenta est in eo iniquitas?  
Ezech. 28. Contemplare lapsum primo-  
rum nostrorum parentum, quos Deus ad  
imaginem & similitudinem suam forma-  
uerat, subiciens eis terram, vt dominaren-  
tur piscibus terræ & volatilibus cæli & vni-  
uersis animantibus, quæ mouentur super  
terram.

terram. Gen. 1. quàm leuiter ad serpentis inter mancipia illorum abiectissimi suggestionem, in quantas miserias deciderint. Accessit hinc

*Altera causa, homini mortali propria, ingenta ex primo illo nostrorum parentum peccato, malitia, atque exindè sensus & cogitatio humani cordis in malum prona ab adolescentia, Gen. 8. ac speciatim horrenda quædam (S. Aug. lib. 2. de Ciuit. Dei c. 22.) profunditas ignorantia, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodã sinu suscipit, vt homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit. Et amor tot rerum vanarum atque noxiarum, ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines & mala alia innumera &c. quæ illi ibidem prolixè memorat, & integro tractatu distinctissimè enumerat S. Bonau. in tract. quem Speculum animæ inscribit. Nominatim verò Apostasia, & singulares aliæ apostatandi causæ, præsertim verò triplex, concupiscentia carnis, oculorum & superbia vitæ. Quæ, vt ait S. Aug. serm. 15. de verb. Dom. est quasi lapis in sublimi detentus, qui licet actu deorsum se non præcipitet, quia obstaculum vetat, pronus tamen paratusque est ad lapsum, labiturque mox, ubi sustentaculum subduxerit &c. Quis verò est, qui sibi relictus suam inclinationem & affe-*

6.

Secunda causa, Malitia ingenta homini ex primo parentū nostrorū peccato & inde peccandi pronitas.

A 5

tionem



tionem non amplectatur, & quâ data porta ruat, quò trahit cupiditas, ita quidem (quod conqueritur S. Bern. *Serm. 81. in Cant.*) vt prauo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato in deterius mutata necessitatem faciat, quæ cum voluntaria sit, excusare non valet voluntatem, nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem &c. quid si ad hæc superueniat ille, cuius halitus prunas ardere facit, Rex super vniuersos filios superbia, qui factus est, vt nullum timeres, nullaque sit super terram potestas, quæ comparetur ei? Iob. 41. Prodeat nunc Symon aliquis, exerat vires omnes, seque magnum esse facto demonstret, quando Gentium Doctor vocatus Christi Apostolus, se nihil esse tam ingenuè factus est. 2. Cor. 12. quando post raptum in tertium cælum angelo sathanæ ad colaphizandum datus, tanto cum gemitu suspirat: velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Rom. 7. qui corpus suum tam seuerè castigat & in seruitutem redigit. 1. Cor. 9. ne cum alios colluctare aduersus carnem & sanguinem, aduersus Principes & potestates, aduersus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, docuit *Ephes. 6.* reprobus ipse fiat. Quis ausit hic sese inserere, seipsum commendare,

mandare, tantoque se Athletæ comparare,  
2. Cor. 12. quin potiori iure quàm vas illud  
Electiois Rom. 7. dolens nimium exclam-  
met? *Infelix ego homo, quis me liberabit de  
corpore mortis huius?* Sed bene habet, quod  
continud subdit: *Gratia DEI per IESVM  
Dominum nostrum.*

Cæterum, quia Gratia Dei peccatorem  
uiuificans per SS. Ecclesiæ Sacramenta, vel  
re, vel voto saltem suscepta, tantum modò  
confertur, conseruatur, ac perditã restituitur,  
præsertim Pœnitentiã secundã post  
naufragium tabulam, & SS. Eucharistiã,  
panem vitæ, quem nisi manducauerit, ha-  
bere vitam in se negatur Ioan. 6.

*Causa tertiã rectè ponitur Sacramentorũ  
non vsus & abusus vel indigna receptio, vt  
potè rei neglectus, sine qua viuere nõ possu-  
mus. Quam non solùm vana sed & perni-  
tiosa sit falsa pœnitentiã, ( si quis nimirum  
de peccatis præteritis sufficienter non dolet,  
aut cum spretis pluribus de vno solo pœni-  
tentiã agitur, aut cum sic agitur de vno, vt  
non discedatur ab alio, d. 6. de Pœnit. c. Fra-  
tres ) Et post hanc indigna S. Eucharistiæ  
sumptio, non solùm suscipienti, verùm eti-  
am dispensanti SS. Mysteria, Seraphico sty-  
lo zeloque declamat S. Bonau. in Confession.  
de vsu clau. c. 4. practic. 3. vbi regulas iniun-  
gendis*

7.  
Tertia  
causa Sa-  
cramen-  
torũ non  
vsus, &  
abusus,  
vel indi-  
gna rece-  
ptio.



gendis pœnitentijs præscribens: *Quarta*, inquit, *regula est, vt sibi (Pœnitenti) iniungatur illud, quod ait ipse Saluator. Ioan. 8. vade & amplius noli peccare. Vnde Aug. de ver. & fals. pœnit. c. 13. non dixit, nec pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruetur, nisi dolor in pœnitentia continuè custodiatur? Sic igitur semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat. Hæc Aug. Qui ergo in vno vel in pluribus offendere non vult, non debet tali siue sano siue infirmo, siue litterato siue illiterato, religioso vel seculari veniam peccatorum Sacerdos promittere, nec Corpus Domini aliquatenus dare, vel licentia-re, nisi semper de cætero desistere voluerit ab omni mortali, etiamsi sit Sacerdos, & in festum quodcunque, etiamsi sit vestitus Missalibus indumentis, etiamsi expectaret Papa & Imperator, & totus mundus Sacerdotem sic indutum, etiamsi post annum peccare vellet & tibi confiteretur. Talis enim confessio est istorum, qualis erat confessio Presbyterorum, de quibus legitur Dan. 13. quod ad inuicem confessi sunt concupiscentiam suã de Susanna, & quia tamẽ desistere noluerunt, propter iniquitatem suam perierunt. Similiter & isti peribunt in voluntate peccandi permanentes, quia vt Apostolus ait Hebr. 10. Voluntariè nobis peccantibus, iam non relinquitur hostia, pro peccato. Gl. In voluntate peccandi*

candi permanentibus. Quotiescunque autem Sacerdos, in voluntate peccandi mortaliter permanentibus, licentiat Corpus Christi, peccat mortaliter: quia Christum cum Iuda tradit, vt secundario crucifiscatur. Imò dicit Aug. in Gl. super illud Psal. 68. Et dederunt in escam meam fel. quod grauius peccat, qui contemnit regnantem in cælo, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terra. Hoc quidam Peffiferi & Idiora non attendentes dant largam licentiam communicandi luxuriosis exactoribus, vsurarijs, concubinarijs, & huiusmodi monstruosis, ira & odio plenis. O magna & infælix præsumptio, licentiarè alijs tam ingens flagitium, quod sibi nullus hominum licentiarè possit. Magna verò præsumptio simplicis Sacerdotis, licentiarè alijs, quod nec Papa, nec Angelus, nec Petrus, nec omnes Angelorum exercitus possunt licentiarè. Cum sensentiam Iudicis proclamauerit voce præconia 2. Cor. 11. Quicumque manducauerit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus est Corporis & Sanguinis Domini. Gl. Indignus est, qui aliter celebrat Mysterium Eucharistia, quàm à Christo traditum est, & qui non deuota mente accedit ad Eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & iste talis est reus Corporis & Sanguinis, id est, morti Christi penas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.



puniatur. *Hæc Gl. continuo. Tam gnaue peccatum est Christum indignis licentiando tradere, vt ipse Iudex per se clamer Matt. 26. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Gl. multo melius esset omnino non esse, quàm malè esse. ac si aperte dicat: Melius esset tali homini, quod Christus nunquàm fuisset incarnatus, nunquàm natus, nunquàm passus, nunquàm à morte resuscitatus, licet per hoc multos liberauerit, Infernum spoliauerit, Cælos ditauerit: quia omnia hæc talia non proficiunt ad salutem, sed ad acerbiores damnationem, quia grauius peccant, qui contemnunt regnantem in Cælo, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terrâ &c.*

8.  
Venialis  
peccati  
damni.

Hæc S. Bonauenturæ doctrina indubitata est, quantum ad peccatum mortale, veniale, licet per se loquendo tantū damni seu periculi proximè non inferat, quia tamen charitatis feruori repugnat, ad lapsum magis magisque disponit, et si contemptum per moras inualefcit, in præcipitium sæpè sapius multo periculosius incautum tradit; debet igitur homo non minus habere propositum se preparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata veni-

venialia, ait S. Thom. p. 3. q. 87. a. 1. Quam-  
quàm verò etiam plura sint istud peccatum  
delendi remedia, quæ S. Bonau. Centil. p. 1.  
f. 6. his versibus complectitur:

Confiteor, tundo, respargo, conteror, oro,

Signor, edo, dono, per qua venialia pono,

Vnctio, poena leuis, compassio qua fit egenis.

Quia tamen aliquo modo voluntarium est, ait  
idem 4. d. 21 p. 1. a. 1. q. 2 ad 4. nunquam  
deletur, nisi voluntas detestetur. Vnde vix con-  
tingit, quod ei qui proponit manere in veniali  
peccato, utpotè in verbis otiosis, quod etiam si  
confiteatur, remittatur ei culpa; nisi forte pro  
opere illo contra seipsum insurgat, & aded rugi-  
sus rationis fremat, quod bestiales motus sensu-  
alitatatis gressum figant ad modum leonis, quo  
rugiente cetera animalia gressum figunt. Quod si  
voluntas habitualiter adhaeret vni, subiungit  
ibid. S. Bonau. ad 5. & non alij, tunc culpa  
remittitur, cui non inheret & remanet culpa,  
eui voluntas adhaerebit, vel si voluntas vnus  
peccatum magis detestatur quam alterum, gra-  
tia magis debet culpam venialem, in cuius dele-  
tione magis voluntas consonat vel adiuvat &c.  
Si quis igitur ex mera consuetudine confi-  
teri solitus, nullam curet habere peccati eti-  
am venialis detestationem, aded non purga-  
bitur à culpa, ut culpam potius propter inde-  
bitam Sacramenti susceptionem incurrat;

B

sicut



sicut enim Sacerdos non habens obligatio-  
nem celebrandi Missam, hanc omittens non  
peccat, peccat tamen si quid essenziale cele-  
brans omittat. Ita nemo tenetur confiteri  
venialia, si tamen confiteri vult, tenebitur  
non omittere necessaria, ut sunt detestatio  
peccati, & emendandi propositum. Nun-  
quid autem talis tam ingratus beneficiorum  
diuinorum vsurpator meretur tandem dese-  
ri, ac propter ingrauescentem teporem ex  
ore Dei penitus euomi ac sathanæ potestati  
relinqui? huius periculi dudum nos præ-  
monuit & ad innocentiam mentisque pu-  
ritatem non solum à mortiferis, verum eti-  
am leuioribus peccatis serid nos adhorta-  
tus est S. Aug. 17. 26. in Ioã, *Quam multi, scri-  
bens, de Altari accipiunt & moriuntur. Vnde  
dicit Apostolus: iudicium sibi manducat &  
bibit. Nonne buccella Domini venenum fuit lu-  
da? Et tamen accepit, & cum accepit, in eum  
inimicus intrauit: non quia malum accepit, sed  
quia bonum malè malus accepit. Videte ergo  
fratres, panem cœlestem spiritualiter manduca-  
te, innocentiam ad Altare portate, peccata nisi  
sunt quotidiana vel non sint mortifera, antequam  
ad Altare accedatis, attendite quid dicatis: di-  
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti-  
mus debitoribus nostris, Hæc ille. Plura ex  
instituo*

instituto Oranus tractatu de Apostasia Iuda,  
praesertim Concione 4.

Ad dignam Sacramentorum susceptionem, vitiorum eradicationem, in virtutibus profectum, ac superandas tentationes praesentissimum, imò necessarium mediū commendatur ab omnibus oratio, cuius proinde intermissio pro causa quarta meritò agnoscitur. Commendationes orationis apud SS. PP. & Ecclesiae Doctores, praesertim asceticos habentur innumeræ, quas hic enumerare, planè superfluum est, cum præ manibus sint copiosa in SS. litteris testimonia, quæ congerit S. Bonau in Biblijs Pauperum c. 6. de oratione. Docuit nos orare ( inquit vers. dimissa turba. ) Dominus & saluator noster in Euangelio Matth. Sic ergo orabitur: Pater noster &c. animauit promisso, Luc. 11. & Ioan. 14. Petite & accipietis &c. informauit exëplo, ipse enim, qui poterat imperare, voluit orare Matth. 4. Marc. 1. Luc. 9. specialiter autè in stãte persecutione Passionis suæ orauit, & orare monuit Matth. 27. Marc. 14. Luc. 22. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationē &c. Monuit, iniquies, adeoque liberam reliquit; consuluit, vt necessariam non præcepit. Audi super hoc S. Chrysoft. rom. 1. ser. de Moys. oportet, inquit Christus Luc. 11. semper orare & non deficere; dum oportet dicit, necessitatem inducit,

B 2

necessitas

9  
Quarta  
Causa,  
Intermissio  
sanctæ  
orationis.



necessitas autem tanta vi adstringitur, ut quod  
necesse est, esse velis, præterire non possis; denique  
manducandi, bibendi, vestienti necessitas à na-  
tura illata præteriri nõ potest, sine quibus geri vi-  
ta ista non poterit: igitur, si prætermittere ista  
non possumus, sine quibus non potest vita ista ce-  
lebrari, quomodo tutus ab hoste esse poteris, qui  
quod oportet semper orare, contempserit? &c.

10.  
Ab orati-  
one om-  
nis Reli-  
gionis  
bonum  
pendet.

Non vnius tantùm personæ, verùm toti-  
us & omnis Religionis bonum inde pende-  
re censet S. Bonau. de sex alis Seraphin. c. 3.  
Cavenda est, inquit, perturbatio studij deuotio-  
nis, ex qua sulcitur omnis vera Religio, & omne  
virtutis exercitium impinguatur. Arida est om-  
nis Religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabi-  
lis est bonorum operum structura, quæ deuota  
orationis frequentia non compaginatur, sicut pa-  
ries lapidum sine cemento. In omni Religione,  
vbi deuotionis fervor tepuerit, etiam aliarum  
virtutum machina incipit desinere & propinqua-  
re ruina. Lampades satuarum Virginum sine oleo  
extinguuntur, ut ait Matthæus c. 25. Hæc ille.

Hanc ego quadrigam esse iudico, non  
quæ Elias per turbinem in cælum raptus di-  
citur 4. Reg. 2. sed quæ Phaëtontis instar, de  
cælo concupiscentiæ flammis adustus, qua-  
tuor passionum equis excusso rectæ rationis  
fræno, præceps actus in terram corruit, quis-  
quis à suæ Professionis retracta ab aratro  
manu

manu retrospicit. Verùm est causas illas cõ-  
 munes posse dici cuicumque fidei, qui circa  
 fidem aut Religionem quomodocunq;  
 naufragium patiuntur, Religiosis tamen  
 potissimùm conveniunt, qui quòd Sacra-  
 mentorum vsu frequentiori, & orationis  
 exercitio præ alijs proficere solent, ex eo-  
 rum negligentia ad lapsum proniores, mul-  
 tò quoque graviùs delinquere comperiun-  
 tur adinstar Iudæaui illud tam execrabile  
 peccatum tradendi Christum committere,  
 de quo loquitur S. Chrysoft. *hom. 71. in 10-  
 an. c. 13.* exponens illa verba: Quod tu facis,  
 fac citiùs. *O amentiam! quomodo non molitur  
 est? quomodo non puduit, sed impudencior fa-  
 ctus exiit? illud autem verbum, Fac citiùs,  
 non imperantis est, neque consulentis, sed ex-  
 probrantis & reuocantis ad emendationem, sed,  
 cum esset inemendabilis, dimisit eum &c.* Ob-  
 seruauit illud per experientiam ac memoriã  
 dignum iudicauit S. Aug. *in epist. 137. ad  
 Plebem Hippon.* qui postquàm varijs exem-  
 plis nonnullòs, qui ex lapsu aliquorum ho-  
 minum suæ Religionis ipsam totam Reli-  
 gionem maculabant, reprehendisset: *sim-  
 pliciter autem, inquit, fateor Charitati vestræ  
 coram Domino DEO nostro, qui testis est super  
 animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomo-  
 do difficile sum expertus meliores, quàm qui in*

B3

Monasterijs



Monasterijs profecerunt, ita non sum expertus  
 peiores, quam qui in Monasterijs ceciderunt;  
 ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: lu-  
 stus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc,  
 Quapropter eisi contristamur de aliquibus pur-  
 gamentis, consolamur tamen etiam de plurimis  
 ornamentis: nolite ergo propter amurcam, qua  
 oculi vestri offenduntur, torularia detestari;  
 vnde apotheca Dominica fructu olei luminoso-  
 res implentur &c. Turpissimè sapius etiam  
 labi, qui maiore Dei notitiam videbantur  
 adepti, animaduertit Caiet. in id D. Pauli  
 Rom. 1. Propter quod tradidit illos Deus in  
 desideria cordis eorum in immunditiam, &c.  
 Ecce, inquit, poena congrua; ipsi siquidem ele-  
 uati fuerant ad notitiam Dei, & noluerunt se  
 disponere secundum illam notitiam, & propterea  
 meruerunt subijci parti sensitua; congruum si-  
 quidem est, vt qui noluerunt vi celsitudine in-  
 zellectus, subijciantur vilitati & ignominia sen-  
 suum: nec solum sunt derelicti in concupiscen-  
 tijs propriorum cordium, qua tendunt ad im-  
 munditiam, qua sunt vilissima, & merito, vt  
 qui desideria munda ex diuina notitia prodeun-  
 tia refutarunt, in concupiscentias immundas  
 tradantur, vt subditi illis. Hæc Caiet.

II,  
 Cause  
 magis  
 speciales  
 Regulari.

Cause magis speciales raiuz Regulari-  
 um possent hic afferri quamplurimæ, vt  
 quod vnus huius, alter alterius rei cupidi-  
 tate,

tate, vel vicio victus, contemptis aut neglectis, quæ singulis singulariter conveniunt, remedijs, votis Deo factis renunciat, sed ista in prædictis vel includuntur, vel inde omninò dependent, atque vt vni sint causa peculiaris vel occasio labendi, præsentis quaestioni, quæ mouetur generaliter, *Cur hodie Religiosi à Religione Catholica deficiant? vniuersim non satis faciunt.*

Religio, ad quam se cuncti Religiosi specialius ac stabiliter obligant, indeque appellationem habent, ac certum in Ecclesia statum & gradum tenent, iuxta D. Thom. ac Theologos communiter, est virtus moralis, quæ hominem inclinât, vt debitum Deo cultum & honorem exhibeant: cuius actiones interiores sunt deuotio & oratio. Exteriores; adoratio, sacrificium, votum, laus, cantus &c. In his, qui tepidior esse cæperit suæ vocationis, & voti sensim obliuisci, cù oscitantia diuinum officium peragere, ad Sacramenta nullâ præuiâ præparatione accedere, ita vt demùm ea vel penitus etiam omittere, vel omninò indebitè peragere nõ vereatur &c. quid superest, quàm vt morbida pecus abscindatur, ne cæteras inficiat? In Hierosolymitana Ciuitate inter alias portas vna erat stercoris. Quidni talis etiam sit in spirituali Religionum ciuitate, per quam,

B 4

qui

um ruinae  
afferre  
possunt.

12.  
Religio  
virtus  
moralis.



qui remisso spiritu, in peius semper prolambuntur suæ vocationis immemores, alijs onerosi, non solum vt piè viuere volentibus impedimento sint, verum etiam contagione suæ prauitatis simul contabescere cogant, tanquam pestiferæ sordes eiciantur.

13.  
S. D. Bonauentura vult aliquos expellendos ab Ordine.

S. Bonauentura vic tantæ sapientiæ & charitatis, vt Seraphicum inde Doctorem, Doctores alij communiter nuncupent, in superius allegato tractatu de 6 alis Seraph. audeat optare, quin etiam Posteris ardentè incitare ad huiusmodi hominum expulsionem, vbi cum plura nostro instituto plurimum inferuentia sapientissimè doceat, prætereunda non est tanti Doctoris instructio àit ergo primùm loco citato, c. 3. *In hoc differunt laudabiles Religiones, & iam dilapsa, non quod nullus peccans in laudabilibus reperitur, sed quod nullus impunè peccare sinatur, & peccandi a litis studiosè præcludantur; & inorigibiles, & alijs inficientes eliminantur, & boni foueantur, & diligantur, vt perseuerent, & in melius semper proficiant. Nam cum in conventu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit prauitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogatiuam, quod peccatum in eo non sit? quia etsi plurimi per Deigratiâ immunes ibi fuerint, sed non omnes. Vos mundi estis,*

estis, sed non omnes, ait Dominus Ioan. 13.  
 Bonis enim, quamdiu sunt hic in statu merendi,  
 expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint  
 maioris occasio meriti, quibus compariantur in  
 malis suis, contra quos Zelus eorum inardescat,  
 quos corrigere laborent, quibus similes fieri per-  
 timescant, qui eis sint tentationis materia, à qui-  
 bus etiam persecutiones sustineant, & ex quorū  
 etiam consuetudine confusi humilientur; quia  
 tales non sunt, admoneantur gratiarum actio-  
 nis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur; si  
 autem deessent bonis prædiclarum virtutum oc-  
 casiones, merita ipsorum tantò fierent etiam mi-  
 nora, dicente Paulo Gal. 6. Quæ enim se-  
 minaverit homo, hæc & metet. Nec tamen  
 diligendi sunt mali, seu fouendi, sed tolerandi:  
 maximè quorum occulta sunt mala, & alios non  
 inficiunt, & est spes de correctione ipsorum, vbi  
 verò ista defecerint, ibi sine graui detrimento su-  
 stineri non possunt: & ideo eliminandi sunt, ne  
 putetur eorum prauitas bonis placere. Hæc ibi,  
 amplius & accius c. 7. vbi cum tria delin-  
 quentium genera distinxisset, de postremis  
 loquens: Tertij, ait, offendunt grauius & a-  
 peritè, & non recipiunt debitam correctionem,  
 vel fidè recipiunt, quia non emendantur, & alij  
 ex eis sunt deteriores, vel scandalizantur de ip-  
 sis, vel imitari eos incipiunt, si vident eos impu-  
 nè peccare, volentes sibi parci, sicut illis parci-  
 tur.



sur. Vbicunque ergo quatuor illa conueniunt, scilicet grauius, aperte peccare, & non esse spem correctionis, propter obstinationem, seu inueteratam mali consuetudinem, & alios infici per eius exemplum, vel scandalizari: quia talia tolerantur, quid restat, nisi vt ouis morbida abijciatur, & membrum putridum praeceidatur, ne sana inde inficiantur & corrumpantur. Vnde dicit Apostolus Gal. 5. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Et 1. Cor. 5. Auferre malum ex vobismetipsis. Quod si infidelis discedit, discedat. Et Lucas dicit c. 13. Succide ergo illam, scilicet frum infructuosam, vt quid etiam terram occupat? Et Matth. 3. Omnis arbor, quae non fert fructum bonum, excidetur. Et in Numeris c. 5. Praecipe filiis Israel, vt eiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo, ne contaminent ea, cum habuerint vobiscum, &c.

14.  
Gloriatio  
inanis  
quod nul-  
lus ex suo  
Ordine a-  
postata-  
uerit.

Humbertus discretissimus Magister Ordinis Dominicani ad rem istam ita scribit: gloriantur aliqui de hoc, quod de Ordine eorum nullus apostatet. Quibus dici potest, quod inanis sit gloriatio talis. Non enim est mirum, quod nullus apostatando de Ordine illo egreditur. in quo Apostasia toleratur, oportet, vt Religio despu- metur ad hoc, vt in sua puritate seruetur. Vbi est despumatio nulla, frequenter est impuritas mul-  
sa &c.

&c. Non aliter etiam de purgatione illa  
 sentit S. Greg. l. 34. Mor. c. 7. rationem red-  
 dens verbi illius. Et territi purgabuntur. Iob.  
 41. & applicans illud angelis: Purgati sunt,  
 inquit, quia Leuiathan cum reprobis legionibus  
 exeunte, soli in cœlestibus sedibus, qui beati in  
 æternum viuerent, remanserunt. Huius itaque  
 lapsus eos terruit, & purgauit. Terruit, ne Con-  
 ditorem suum superbe despicerent, purgauit verò,  
 quia exeuntibus reprobis actum est, vt electi soli  
 remanerent. Et quia cunctorum Opifex Deus sit  
 ad bonorum custodiam etiam bene vti mala acti-  
 one reproborum, lapsum cadentiũ vertit in pro-  
 feclum manentium: Et vnde punita est culpa su-  
 perbiuentium, inde humilibus Angelis & inven-  
 ta & solidata sunt augmenta meritorum. Sancti  
 enim Angeli, dum in istis natura sue damna con-  
 spiciunt, in seipsis iam cautiũs robustiũsque confi-  
 stunt. Vnde fit, vt illi Electorum Spirituum Pa-  
 tria, etiam ruina sue damna proficiant, dum in-  
 de firmitus constructa fit, vnde fuerat eã parte  
 destructa &c. Consolatoria sanè pro Reli-  
 giosis Ordinibus sapientissimi Pontificis  
 sententia. Sicut aulæ cœlesti ignominia nõ  
 fuit, tertiam cecidisse partem stellarum, &  
 tot tamque præclaros spiritus apostatasse;  
 sic neque illiserit, si è millibus vnus abeat  
 in perditionem. Diffamabit fortè sacrum  
 Ordinem maledicentijs. nihil mirum. Di-  
 dicit



dicit hoc à Spiritibus istis proteruis, qui quo excellentiores à Deo acceperant gratias, eò maioribus odijs, blasphemijs: que eum infectantur. Nihil nocet, quòd expulsus canis vlulet foris, atque latret. Fateor, non potest Religio, quia pia Mater est, non lugere tam duram filij damnationem, sicut lugerebat Samuel reprobationem Saulis Meminisse tamen etiam debet, pio Prophetæ dictum à Domino: *Vsquequo tu luges Sauli, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel.*

15.

**A** minimis peccatis fugiendū.

Vide sis hæc, & vt euites causas alias apostasie particulares apud P. Bonau. Dernoye, in c. 2. Reg. S. Francis. §. 27. Et P. Cyprianum in eadem Regulam & caput, lect. 6. In minimis verò cautissimum age, ne propriæ salutis incurius, inaduertenter in grauiora cadas, ac demum in extremum precipitium de repente labaris, grauissimè monet S. Ioan. Chrisost. Quod veterator omnium malorum diabolus, ita loquitur hom 87. in c. 27. Matth. magnâ malitiâ, multâ operâ, ingenti studio, condescensioneque nonnulla, perditionem hominum à minimis plerunque incipiat. Hoc cum Sanctus ille exemplo Saulis & aliorum insigniter demonstrasset: similiter etiam (prosequitur) de Cain factum esse videmus. Non enim confestim eadem fratris illi suggestit, ne magnitudine rei commotus tam sceleratum

sum facinus abominaretur: sed prius suasit de-  
 riora offerre, nullum id dicens esse peccatum: de-  
 inde inuidia veneno succendit, nihil etiam hinc  
 mali securum persuadendo. Ita sensim in eum  
 illapsus, ad cadem fratris, & ad negationem  
 sceleris impulit, nec prius cessauit, quam malo-  
 rum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur  
 malorum initia sunt. Nam etiam si ad ma-  
 iora prima non progredierentur peccata, non es-  
 set tamen negligendum: nunc verò per istam in-  
 curiam gradatim semper ascendunt, quapropter  
 omni studio atque operâ funditus principia pec-  
 catorum sunt evertenda. Non enim naturam deli-  
 cti solam consideres, nec quia paruum sit, cogi-  
 res; sed illud præcipuè tene, quia si radicem non  
 evulseris, magnum inde peccatum succrescet.  
 Mirabile quiddam atque inauditum dicere au-  
 deo. Solet mihi non tanto studio magnavideri  
 peccata esse euitanda, quanta parua & vilia: Illa  
 enim ut auersemur, ipsa peccati natura efficit:  
 hæc autem hæc ipsâ re, quia parua sunt, desides  
 reddunt: & dum contemnantur, non potest ad  
 expulsionem eorum animus generosè insurgere;  
 vnde citò ex paruis maxima fiant negligentia  
 nostrâ. Hucusque S. Doctor, in hanc rem  
 plura differens in psal. 6. hom. 8. in 1. Cor.  
 hom. 9. ad Antioch. Et hom. 60. super Genes.  
 Itemque Hieron. epist. 14. ad Celant. S. Aug.  
 serm. 240. de temp. l. de 10. chord. c. 11. p. 4.  
 l. 3.



l. 3. c. 11. epist. 10. & alibi. Item Aluar. de Paz. t. 2. p. 4. l. 3. c. 9.

16.  
Ex aliena  
ruina sa-  
pienter  
procedē-  
dum.

Cogita nunc, Lector, & qui aliorum lapsum admiraris, tua ipsius pericula perpende. Disce, inquam, Pharisaeo supercilio caeteros non despicere, sed ex aliena ruina sapere, & ne laboris ipse similiter, vel etiam grauius, quàm lubrico vestigio super huius mundi fluctus incedas, prudenter animaduerte. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Hoc igitur age, & si sapias, apostatae causas ita perpende, non vt hominem, aut etiam Religionem temerè idcirco diiudices, aut contempnas, verùm vt prauiusa iacula non feriant, tibi iam serid attende, vt aduertere possis & cauere, quæ hactenus in meam tuamque, si vis, cautelam differui, simplici mentis oculo intueri; videbis, &, nisi meum me fallit arbitrium, credes etiam tu, mirum non esse, neque nouum, quosdam à via salutis excidere, cum ab orbe condito hucusque in omni statu, congregatione, loco & tempore casus eiusmodi contigerint. 2. neque mirum esse, si fortè hoc tempore quàm præterito videantur plures à Religiosa professione ad A catholicorum castra transvolare. 3. vtriusque causam esse. 1. vanitatem, cui omnis creatura, ex nihilo facta, subiecta est. 2. superuenientem

tē homini ex primorū parentū peccato & cō-  
 genitā inde omnibus hominibus malitiam,  
 & peccandi pronitatem, nisi quos Dei Gra-  
 tia peculiari liberauerit, vel conser-  
 uauerit. 3. & 4. SS. Ecclesiæ Sacra-  
 mentorum & orationis, quæ sunt potis-  
 sima & religiosis Ordinibus frequentiora,  
 Gratiā Dei acquirendi & conseruandi, me-  
 dia, neglectum vel indebitam functionem;  
 quam hoc tempore inter Religiosos quan-  
 doque contingere mirum non est. Cum  
 enim Regularis obseruantia pendeat ab ex-  
 emplo potissimum eorum, qui solido virtu-  
 tum exercitio plures annos constanter insi-  
 stentes alijs viam benè viuendi factō mon-  
 strant ( siquidem à bove maiori discit arare  
*minor*) tales autem diuturna belli calamitas  
 maxima ex parte absumpserit, vel cettè tā-  
 tum eneruauerit, vt quantumuis postlimi-  
 nio ex commixtione gentium ad monaste-  
 ria reuersi, priores austeritates animosē re-  
 sumant, optimæ tamen voluntati vires non  
 æquè respondeant. Iuniores porrò Re-  
 liosi, quos ipsos magno numero recipere  
 penuria rerum, & paupertas non permittit,  
 non solum exemplis pristinis orbati viam  
 perfectionis lentius aggrediuntur, verum e-  
 tiam ob necessitatem & pluralitatem nego-  
 ciorum, atque operatiorum paucitatem, vix  
 exacto tyrociniō, quandoque officijs præ-  
 ficiuntur, qui si maximè velint, semel con-  
 cepto

17.

Regula-  
 ris obser-  
 uantia  
 pendet  
 ab exem-  
 plo per-  
 fectorum  
 perseueran-  
 tium.



17.  
 Propera  
 nimis pro  
 motio à  
 virtutum  
 profectu  
 multos  
 deiecit.

cepto spiritui, ac interioris hominis refor-  
 mationi attendere, orationisque pabulo se  
 reficere ac fouere non valent, vnde facile ad  
 pristinos mores sæculares redeunt. Multos,  
 ait S. Bonau. in speculo Nouit. circa fin.  
*propere nimis promotio à virtutum profectu per  
 vitium elationis deiecit &c.* Quid, inquam  
 mirum, si tales Religiosæ austeritati nec  
 dum assueti, vitijs adhuc inuoluti, diffici-  
 les corrigi, iugum Christi rursus abiiciant;  
 admiratione dignum est, quia tot perseue-  
 rent. & SS. Religiones tantum reflorescere  
 magis magisque experiamur. Tua, Deus!  
 hæc præstat Benignitas; Tibi propterea  
 gratias agimus immortales, Te laudamus,  
 Benedicimus, atque vt *Domnum Apostolicum,*  
*& omnes Ecclesiasticos Ordines in Sancta*  
*Religione confortare & conserva-*  
*re digneris Te rogamus*  
*audi nos.*







